Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1645
Quelle:
Copyright:

ce menda ſunt. Quid ſi in illorum cenſum veniat *Purguſtio*, legendumque ſit *Burgundio?* Judicem hunc Sec. XII. *Piſanum* graece doctum fuiſſe plura ab eo latine reddita, quae habes apud *Fabricium* et *Mazzuchellium*, probant. Medicinam adtigiſſe, cum verba Epitaphii:

Dogma Poetarum, cui littera græca latina
Ars Medicinarum patuit Sapientia trina,

tum *Galenus de Alimentis* et *de Regimine Sanitatis* e graeco converſus teſtantur, qui *Mazzuchellii* fide in Bibliothecis *Venetis* extat. Quidni igitur etiam *Phyſiognomiae Ariſtotelis* traducendae et Commentario illuſtrandae manum admovere potuit? Ejusmodi enim Commentarius ſunt *Dicta* noſtra. Unum interim, unde conjecturae meae timeam, eſt, quod Autor *fol.* 181. ait: vidiſſe ſe oves mollem et duram lanam habentes *in terra nabonẽſi* (Narbonenſi) *et in quadam parte yſpanie que dicitur cathalonia*, et quod *fol.* 178. p. 2. habet: *in motibus non inuerecundus. i. uerecundus et inclinatus et ſtupet factibil' tal' cito ſebbaiſt gallice loquendo*; e quo quamquam, Librarii certe vitio, nihil extundam, credi tamen poſſit Autor *Gallus* fuiſſe potius, quam *Italus*. Interim, dum quis probabiliora doceat, Commentarius ita inſit: *Sicut dicit philoſophus primo retorice. nobilitas eſt generi ciuitati ſui iuris antiquos eſſe preſides* &c. quae et ipſa corrupta ſunt. Prooemium totum diſputat de Nobilitate animi et natalium, dum in Textum *Ariſtotelis de Phyſiognomia* ingrediatur, quem membratim exponit. Extrema ſunt: *habent ex aliquo caſu oculos inequales.*

XVIII. *fol.* 190. *Clementis* VI. Depoſitio et Excommunicatio *Ludovici Bavari* Imp. absque notis chronologicis, ſed fulminata a. 1346. in *Coena Domini.* Incipit: *Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad certitudinem preſentium et memoriam futurorum. Olim videlicet II. idus aprilis pontificatus noſtri anno primo* (1342. 12. Apr.) *Nonnullos proceſſus per felicis recordationis Johannem papam XXII. predeceſſorem noſtrum contra ludouicum de bauaria dudum in regem romanorum in diſcordia ut dicebatur electum — ducimus recitandos* &c. Narrantur igitur acta ab eo tempore praecipue *Ambaſſiatorum Ludovici Marquardi de Randegge, Ebrardi de ciuitate auguſtenſi* Praepoſitorum, *Imberti Dalphini Viennenſ.* et *Ulrici de augiſta* Imperatoris familiaris in irritum relapſa, quod *Ludovicus* mentem non mutaſſet; itaque *Clemens* terribilibus formulis ad ſententiam anathematis, et depoſitionis procedit, eosque, quorum id eſt, ad electionem novi Imperatoris hortatur. Tacent de hac Conſtitutione Bullaria et Conciliorum